

95. Papa Gregorio XIV al cardinal Lenoncourt.¹

Roma, 28 marzo 1591.

« Dilecto filio nostro Philippo tit. S. Honophrii presbytero cardinali de Lenoncourt nuncupato.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Quantum istius nobilissimi regni Franciae cura inter caeteras pastoralis muneris solitudines nobis cordi sit, testis est Deus, qui nostras cogitationes cognitae habet et testis est quilibet, qui consilia et actiones nostras diligenter observat, finis enim ad quem studia et actus nostri tendunt, is demum est qui ad fidei catholicae et publicae tranquillitatis in isto regno restitutionem maxime dirigitur. Iam vero si haec eadem ratio, quae in nobis praecipua esse debet, a quolibet pie sentiente sive principe sive privato homine minime est aliena, quanto magis a te retinenda est, qui sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis existis quique ad sanguinem usque ipsius catholicae veritatis defensionem et haeresum extirpationem procurare teneris? Cum itaque ex multorum literis et relatione acceperimus multa facta fuisse, et hoc tempore fieri, quibus Henrici Bourbonii olim Navarrae regis et eius fautorum et illi adhaerentium conatus non modicum incrementum sumpsisse dignoscuntur, te ab eiusdem Henrici eiusque fautorum et adhaerentium coniunctione, sincero corde recedere ac omni dissimulatione remota prorsus disiungi oportere duximus, ac propterea ne errores quibus non resistimus approbare videamur, auctoritate apostolica tenore praesentium tibi in virtute obedientiae iniungimus ac sub suspensionis a divinis et ab ingressu ecclesiae aliisque sententiis et censuris ecclesiasticis nec non privationis omnium ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, officiorum ac beneficiorum quorumcumque, cuiuscumque ordinis, praecminentiae et qualitatis existunt ac caeteris contra fautores et defensores haereticorum atque eis adhaerentes a sacris canonibus et apostolicis constitutionibus statutis spiritualibus et temporalibus et praeterea aliis etiam gravioribus ipso facto incurrendis atque arbitrio nostro imponendis et infligendis poenis districte praecipiendo mandamus, ut nulla interposita mora ab ipso Henrico eiusque fautoribus omnino recedas teque penitus seiungas et se pares neque illum unquam ut regem agnoscas, tractes vel habeas atque ab omni publica vel secreta eius vel ei faventium et adhaerentium familiaritate, consuetudine et commercio seu quavis alia communicatione etiam per literas abstineas nullumque ei vel eius fautoribus et adhaerentibus praedictis consilium, auxilium, opem vel favorem praestes vel impendas, atque ut intra quadraginta dies a die quo praesentes nostrae literae ad te pervenerint numerandos te his nostris monitis paruisse nos per specialem nuntium vel literas tua manu subscriptas tuoque sigillo obsignatas seu per publicum et authenticum instrumentum ad nos

¹ Cfr. sopra p. 549.